

jacturam ejuspiam rei caducæ, aut alium casum ærumnosum, concipitur, de qua loquitur S. Paulus, cum ad Thessalonicenses scribit: Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. (I. *Thess.* IV, 41.) Spiritualis et bona est, quæ propter, et secundum Deum concipitur: atque, ut Rodriguez notat, ex quatuor causis oritur: 1. *Ex peccatis propriis*, de qua S. Paulus dixit Corinthiis: Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad penitentiam. (II. *Cor.* 9.) Contristati enim estis secundum Deum; quæ enim secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur: 2. *Ex peccatis alienis*: quemadmodum S. David de seipso fatetur: Tabescere me fecit zelus meus, quia oblitus sum verba tua inimici mei. (*Ps.* CXVIII, 39.) 3. *Ex perfectionis desiderio*; juxta illud Christi: Beati, qui esuriunt, et sitiunt, justitiam quoniam ipsi saturabuntur. 4. *Ex dilectione Beatitudinis*; qua tristitia iterum correptus S. David exclamabat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. *Ps.* CIX, 5.

Azor, alio quoque modo dividi tristitiam, scilicet in *luctum*, qui est tristitia ex ejus, qui charus fuerat, acerbo interitu concepta: *Mœrorem*, quæ est tristitia stabilis: *Ærurnam*, quæ est tristitia laboriosa, et diuturna: *Dolorem*, quæ est tristitia torquens, et crucians: *Lamentationem*, quæ est tristitia cum ejulatu *Sollicitudinem*, quæ est tristitia cum cogitatione: *Molestiam*, quæ est tristitia cum vexatione corporis, et *Desperationem*, quæ est tristitia cum omni rerum meliorum expectatione carens. *Azor.* to. I, l. III, c. XIII, q. 4.

EFFECTUS. — Primus est, *obscuratio ingenii* ob spirituum obtenebrationem, et viam per objectum dolorum omnes animæ vires occupantur, quominus se ad operationes ingenii extendere possint.

Secundus est, *aggravatio inclinationis naturalis*, quod minus bono, ad quod propendit frui queat.

Tertius est, *transmutatio corporalis, natura contraria*, qualenus scilicet naturalis motus cordis, et sanguinis vitalis diffusio impeditur.

Quartus est, *debilitatio operationis*: quia, quæ cum tristitia, et contra voluntatem fiunt, minori cum diligentia, et alacritate perficiuntur. S. THOM. I, 2, q. 17.

AUCTORES.

- Jacobus Salianus de Timore Dei.
Petrus Sanchez in regno Dei.
Jacobus Alvarez to. II. l. III, p. 2, c. IV, § 3.
Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 679.
Theophilus Bernardinus de bono perseverantia l. V, c. 1, et seq.
Joannes Buseus in Viridario V. eodem.
Bernardinus Rosignolius l. I, de act. virt. c. XVII.
Alphonsus Rodriguez p. 4, de perfectione tr. 3, c. XIII, et XV.
Larentius Beilinek them. 3, in festo Purif.
Mathias Faber conc. 1, in Dom. 43, post Pent. et conc. VII, in Dom. 48, post Pentecost. Item in auctario them. v, in Dom. XV, post Pent.
Jacobus Marchantius in horto Pastorum tr. XII, lect. VII, prop. 4, et seq.
Josephus Mansi Bibl. Mor. tract. XXXIII.

TRISTITIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est apprehensio disconvenientiæ in appetitu intellectivo, vel volitivo, nobis nolentibus eventientis. (*Langius in Pol. van.*) Vel, ut Valentia clarius describit, est passio, per quam appetitiva cum quadam perturbatione (intelligendo per hanc, amaritudinem quamdam vitalem ex præsentia mali, quod odio habetur, et vitari nequit exortam), et inquietudine exceratur malum jam præsens secundum rem, vel saltem secundum apprehensionem. (*Valent. q. 6, dub. 1.*) Unde tristitia, seu dolor stricte acceptus, non est formaliter ipsa actio disconveniendi subiecto, ut communis vulgi habet opinio, sed est actus ipsius appetitus, malum averstantis.

DIVISIO. — Dividitur in *bonam et malam*; seu, ut Alphonsus Rodriguez post S. Leonem papam, et Cassianum vocat, *Mundanam et Spiritualem*. Mundana, seu mala est, quæ ob

EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Dormitavit anima mea præ fastidio. *Ps.* CXVIII, 28.

Cor pravum dabit tristitiam, et homo peritus resistet illi. *Ecc.* XXXVI, 42.

FUGA. — Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. *Ecc.* XXXVI, 22.

Tristitiam longe repelle a te; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. *Job.* 45.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Job.* VII, 9.

Ne dederis tristitiæ cor tuum, sed repelle eam a te, et memento novissimorum. *Job.* XXXVIII, 21.

DAMNUM. — Omnis plaga tristitia cordis est. *Ecc.* XXV, 7.

Mæror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. (*Prov.* XII, 25.)

Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur spiritus. *Ibid.* XV, 42.

Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccet ossa. *Ibid.* XVII, 22.

A tristitia festinat mors, et cooperit virtutem, et lædit cervicem tristitia cordis. *Ecc.* XXXIII, 49.

Non est sensus, ubi est amaritudo. *Ibid.* XXI, 45.

EX SS. PATRIBUS.

TRISTITIE BONÆ UTILITAS. — Muletatus est quispiam pecunia? tristatus est, multam non emendavit. Filium quis amisit? doluit, mortuum non resuscitavit. Flagellatus est quis? doluit, contumeliam non revocavit. In morbum quis incidit gravissimum? doluit, morbum non sustulit, sed difficiliorem reddidit. Vides, horum nulli prodesse tristitiam. Peccavit quis? tristatus est, peccatum delerit, dissolvit debitum. S. CHRYS. *hom.* v, ad *popul.*

Illa (scilicet bona tristitia) obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis, ac patiens, utpote ex Dei charitate descendens, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti; hæc vero (nempe tristitia mala) aspera, impatiens, dura, plena rancore, et mœrore infructuosa, ac desperatione penali universos fructus spirituales evacuat. CASSIAN. lib. IX, de *instil.*

TOMUS IV.

TRISTITIE MALÆ DETRIMENTUM. — Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio, id est, tristitia, quæ ducit hominem ad mortem; hæc abominanda ebrietas est. S. HIER. *sup. Matth.*

Ab omni contemplatione virtutum, et intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis hujus zelo fuerit sauciata. CASSIAN. l. X, c. IV.

Tristitia spiritus orationes explorare cum solida cordis hilaritate non permittit, non sacerarum lectionum sinit remediis incubare; tranquillum quoque ac mitem fratribus esse non patitur, et ad cuncta operationum vel Religionis officia impatientem, et asperum reddit. S. AUG. *de gen. ad litt.*

Multos sane novimus, cum calamitate ingenti affligerentur, sibi vix a lacrymis temperasse, deinde in quosdam morbos insanabiles cecidisse, in apoplexias, inquam, ac paralyses; alios vero penitus examinatos esse cum vires ipsorum perinde, ac debile fulcrum quoddam, tristitiæ onere confrigerentur. S. BASIL. *de grat. act. ho. IV.*

Mæror, etiam absente dæmone, multa per se horrenda efficit, plurimosque eorum, qui sibi vel nexerunt laqueos, consueverunt gladius, vel fluvii se undis, vel flammis donaverunt, vel alio quovis genere perdere seipsos, sola doloris, ac mœroris vi ad ita occupandum impulsos reperimus. S. CHRYS. lib. II, de *prov.*

Memoria, quasi venter est animi: lætitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus. AUG. l. X, *Confess.*

Tristitia sæpe gravitatem cordis sequitur. GREG. l. XI, *mor.*

Tristis ex propinquo habet iram. *Idem in Part.*

FUGA. — Depone mœrorem, si potes: include, si non potes. Aut absorbendus omnis, aut premedus est dolor. Cur enim mestitiam tuam non ratio potius, quam dies, leniat? nam quod obliterata est temporis series, melius prudentia mitigabit. S. AMBR. *orat. 1. in Satyr.*

Absque illa tristitia, quæ vel pro salutari penitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tamquam sæculi, et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est; ac sicut fornicationis spiritus, vel philagyrice, vel iræ, de nostris cordibus penitus extrudendus. CASSIAN. l. IX, *inst. c. XIII.*

Miseros nos facere poterit nemo, nisi nos

metipso facimus; sicut scilicet nec beatos, nisi nos efficiamus cum Dei gratia. S. CHRYS. *hom. XVIII, ad popul.*

Vis nunquam esse tristis, bene vive; bona vita semper gaudium habet. HUGO III, *de Anim.*

EXEMPLA.

FIGA. — S. Apollonius negabat, ullo modo decere illos, qui sua corda in Deo fixissent, ab eodemque celorum regnum expectarent, tristari. Tristentur, aiebat, Gentiles, Judæi, cæterique Infideles; neque item peccatores modum lugendi faciant; at iustus, quos spes viva perennium honorum alit, quæ causa mœrendi? *Vita PP. apud Rodrig. p. 2, tr. 6, c. VII.*

S. Franciscus Seraphicus, si quem ex suis substritem conspexisset, graviter objurgabat, dicens, oportere eos, qui daemones, carni, et mundo serviunt; non vero, qui Deo serviunt, tristes esse, nisi forte in culpam aliquam incidierint. LYRUS, *apoph. vi, lib. I.*

DAMNUM. — Monialis quædam S. Mariæ Magdalænæ de Pazzi appares dixit, se celesti quidem gloria nunc potiri; quinque tamen horarum spatium in purgatorio hæere debuisset ob immoderatam tristitiam, quam animo prædominari passa fuisset. *Ibid.*

S. Gregor. teste D. Thoma, ob mœrorem animi, pleniorum explanationem in Ezechielem Prophetam intermisit. Atque idipsum sibi etiam evenisse S. Hieronymus fatetur. BUSECUS, *in Panar. V. eod.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut vermes maxime in lignis tenerioribus cresunt; sic mœrores ut plurimum in homines molliores cadunt. S. BASIL. *or. de mor.*

BONA TRISTITIA. — Sicut vermis, in ligno natus ipsum comminuit; sic tristitia de peccato nata peccatum conterit per penitentiam inducta. S. CHRYS. *hom. VII.*

MALA TRISTITIA. — Sicut linea vestimenti, et vermis ligno ita viri tristitia nocet cordi. *Prov. XXV, 20.*

Sicut nubes condensata, et sub solarem radium, currens, omnem retrorsum splendorem avertit; sic tristitiæ nebula, cum ante animum nostrum steterit, non sinit facilem esse orationis cursum, sed suffocet, et

cum multa necessitate intus reprimat. S. CHRYS. *hom. II, de divers.*

Sicut vestimentum linearem esu attratum nullius prelii vel honesti usus poterit ulterius habere commercium; itidemque lignum vermibus exaratum non jam ad ornatum vel mediocrius adificii, aut ad sustinendum aliquid pondus, sed ad combustionem ignis merebitur deputari; ita igitur, et anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur inutilis erit.

Sicut febricitantibus ille calor, gelidusque horror, longe est molestior, quam sanis, qui pro diverso anni tempore aut frigent, aut calent; ita tristitia, ex propriis oriunda culpis, longe sævius animum excruciat, quam quæ aliunde ex casibus fortuitis procedit. PLUTARCH. *ep. ad facium.*

Sicut amara herba, cibus admixta, omnes cibos reddit insipidos; sic tristitia omnes nostras actiones reddidit fastidiosas. BUSECUS *in pen. V. erists.*

MOTIVA.

AD TRISTITIAM MALAM FUGIENDAM. — Quia tristitia est *radix vitiorum* plurimorum, ut non immerito illi attribuunt aliqui hæc S. Davidis verba: Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestię silvæ. (*Ps. CIII, 20.*) Item: Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. *Ps. x, 2.*

Quia, ut S. Franciscus Seraphicus recte advertit, in *desperationis barathrum* precipitat, aut certe voluptatibus mundanis dissolvit; quæ causa est, ut vehementer ob eam lætetur Dæmon. RODRIG. p. II, tr. vi, c. I.

Quia *summæ amentię* indicium est, uti S. Chrysostomus pronuntiavit, dicens: *Summæ est amentię in rebus incerti certo se jam cruciati conficere.* S. CHRYS. lib. II, *de prov.*

Quia, et *Deo summæ displicet*: ut enim hilarem ille datorem diligit, teste S. Paulo (*II. Cor. III, 7*); ita non potest non illi tristis dator summopere displicere.

MEDIA.

Oratio: Sic enim S. Jacobus suavit, dicens; Tristatur aliquis vestrum? oret. (*Jac. v, 13.*) Hinc, et Christus eundem in summo mœrore jacenti dixit: Surge atque ad medi-

tandam meam passionem accingere. Quod, ubi is fecit, omnis animo angor discessit. RODRIG. p. II, tr. vi, c. v.

Sermo jucundus: Sic Salomon docuit, dum dixit: Mœror in corde viri humilabit illum, et sermone bono lætificabitur. *Prov. XII, 25.*

Vita bona: non enim contristabit justum, quidquid ei acciderit. (*Ibid. 21.*) Hinc Hugo ait: Vis nunquam esse tristis? bene vive, bona vita semper gaudium habet.

Memoria Dei: uti S. David exemplo suo docuit, dicens: Memor fui Dei, et delectatus sum. (*Ps. LXXXV, 4.*) Et confirmat S. Isidorus Pelusiota, dum ait: Animum mœrore oppressum, et prodigatum nihil perinde oblectare potest, ut Dei memoria. Quemadmodum enim mulieris illius eruento profluvio laborantis morbus, qui nec exanimari, nec a medicis tractari, ac sedari poterat; temporis puncto depulsus est; sic etiam humana mœstitia consolationem propellens, ut eui nihil solatii adhiberi queat, ad solam Dei recollectionem facessit, et evanescit. S. ISIDOR. l. III, p. 129.

Spes beatitudinis: Nam, ut Cassianus, ait, hanc perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, ut mentem nostram spirituali meditatione jugiter occupatam futura spe, et contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. CASSIAN. l. IX, *instit.* c. XIII.

Phantasiæ correctio: Sicut enim pueris larvas formidantibus, larvas in manus datus, et equos ad quævis objecta timere solitos calcariibus admotis ad ea propellimus, ut nihil timendum esse advertant; ita phantasiæ quoque, et intellectui nostro inanitam terriaculentorum ex adversis oriri solitorum ostendere debemus. (STAPLET. t. I, *Dom. IV, post Pasc.*) Hinc recte dixit S. Chrysostomus: Hominem nihil expertum mox, si quæ fortuito oboriuntur turbulentiæ, imo non solum res ipse, sed et stultæ opiniones, et rerum umbræ pavidam reddunt, et perterrent. Verum qui non omnino inexercitatus in certamen ingreditur, sed multa ante mala perpeus est, in omnibus postea superior fit, et tamquam grauculos crocitantés eos, qui minantur, contemnit. Non parva autem hæc est corona, neque exigua merces, quod illum nihil humanarum rerum movere potest. S. CHRYS. *serm. de resurrectione.*

Alienarum calamitatum consideratio: Sic

Demonax Philosophus quemdam filii mortem inconsolabiliter lugentem audiens promisit, se filii umbram ab inferis revocaturum, si tres ex omni hominum numero nominare posset, qui nullius obitum laxissent, et quibus nullam obtigisset infortunium. Cumque ille nec unicum ostendere posset, subjecti Demonax: Quid igitur, tamquam rem novam, et insolitam passus esses, teipsum inaniter discrucias? STAPLET. l. c.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ de tristitia singulariter Asceta sunt observanda, et scienda. Primum est, ut bene cognoscat, quantopere illa perfectionis studio obsit; certe Cassianus toto libro eam persequens concludit, non minori studio curandum esse hunc morbum, quam cæteros, si spiritualis agonis certamina cupiamus desudare, utpote quæ omnem intelligendi et volendi facultatem quasi obstopescit, et obtundit. CASS. l. IX, c. XIII.

Alterum est, ut solidum, et efficacem sciat modum pellendi hanc tristitiam, qui quidem in eo potissimum consistit, ut omnem ex animo rerum creaturarum concupiscentiam extirpantes, in solo Deo lætari assuescamus; nam, ut sapienter advertit S. Gregor. Qui aut non habita concupiscit, ut habeat; aut adepti metuit, ne amittat: et dum in adversis prospera, in prosperis formidat adversa, huc illicque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. (S. GREG. l. XII, *mor. c. XIV.*) E contrario vero, ut S. Chrysost. ait, in Domino gaudens, hæc voluptate ex nullo accidente excidere potest. Alia quippe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, et transitu facilia. Nec hoc solum, sed etiam apud nos, manentia, nasentem ex aliis rebus tristitiam repellere non possunt. S. CHRYS. *hom. XVIII, ad popul.*

Tertium est, ut certo sibi persuadeat id, quod S. Chrysostomus iterum sapienter docuit, nullam jacturam fieri per tristitiam, et dolorem reparabilem, nisi quam peccatum affert, atque adeo huic soli eam impendi debere. Hinc S. Leo dicere solitus erat, religiosam tristitiam, aut alienum peccatum lugere, aut proprium. S. LEO, *ap. Beyr. II, IV, in Fest. omn. SS.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Lyciorum Legislator suis præcepit, ut quoties in luctum incidissent, veste induti muliebri fugerent; indicare volens, hujusmodi affectum muliebrem, et viro indignum esse. SENECA, in or. consol.

NECESSITAS. — Socrates rogatus, quomodo quis vitam tristitia, vacuum degeret? respondit, fieri non posse, ut, qui in civitate, vel familia habitat, et cum hominibus conversatur, non aliquando tristetur. MAXIM. serm. de dolor. ag. trist.

AUCTORES.

Joannes Buseus in Panario. V. eodem.
Alphonsus Rodrig. p. II. tr. VI. toto.
Mathias Faber conc. II. in Festo SS. Philippi, et Jacobi.
Josephus Langius in Polyanth. V. eod.
Laurentius Beyrlinck in theatro vit. hum. V. eod. et in Promptuario them. in Festo Omnium Sanctorum.
Hadrianus Lyraeus in lib. I. apoth. S. Ignatii apoph. VI.

VANA GLORIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus gloriae appetitus. Gloria autem nihil aliud est, quam clara aliorum de nobis, bonaque notitia, seu æstimatio, quæ si interius subsistit, *Fama* vocatur; si verbis probatur, *Laus* appetitur; si aliis signis exterioribus manifestatur; *Honor* dicitur. (S. AMBR. super Ep. ad Rom.) Circa hanc definitionem recte notant aliqui, vanam gloriam proprie non esse peccatum, sed peccati obiectum in alio existens, tamen sumitur improprie pro ipso actu voluntatis appetente talem gloriam, unde festus vana gloria diceretur. BEYRLINCK. in Thom. V. eod.

DIVISIO. — Dividitur a S. Thoma in tres species I. In eam, quæ quaeritur ex rebus transitoris, vel de non ente, vel de peccato. 2. In eam, quæ ab hominibus, et non a Deo, quaeritur. 3. In eam, quæ ad debitum finem non ordinatur. (S. THOM. II, II, q. cxxx, ar. 1.) Alii tres assignant *hujus vitii species*, juxta tres modos, quibus, quaeritur vana gloria. *Prima est, quando de simulata excel-*

*lentia quaeritur opinio, vel fama, uti hypocrite, et alii, qui fingunt false, et se artis eujuspiam esse peritos, faciunt. Secunda, si major quaeratur gloria quam par sit, aut de rebus indignis, uti jactabundi faciunt, et omnes, qui de opibus, et rebus inanibus gloriantur. Tertia, si apud eos, qui de rebus non possunt judicare, gloria quaeratur, sicut si quis coram imperitis disputaret, ut sapiens ab eis habeatur. (BEYRLINCK. Ibid.) S. Philippus Nerius alias tres vanæ gloriae species assignavit, quarum primam vocavit *dominam*, quia tunc vana gloria instar dominæ est, quotiescumque illa præcedit, et propter illam fit opus. Secundam vocavit *sociam*, quando homo non facit quidem directe opus propter finem vanæ gloriae, nihilominus in ipso opere percipit aliquam propriam complacentiam, et vanam gloriam. Tertiam dixit esse *servam* sive *ancillam*, quando ex opere operato consurgit vana gloria, a subito reprimitur; unde monere solebat suos dicens: Attendite diligenter, et ad minus curate, ne vana gloria sit domina. S. PULLIP. NERIUS, ap. Mansi, d. c. VI, n. 3.*

FILLE, ET ACTUS VANÆ GLORIAE. — *Septem* a S. Tho. assignantur, quæ tali modo demonstrantur: quia vana gloria consistit in manifestatione propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ: hæc autem manifestatio dupliciter fieri potest. Primo directe, idque vel per verba, et sic est *jactantia*: vel per facta, quæ si vera sint, et aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio novitatum* (has enim solent homines magis admirari), si falsa sint, erit, *hypocrisis*. Secundo indirecte, quatenus scilicet vis ostendere, te non esse altero minorem, idque quadrupliciter: vel ratione intellectus, quod sit per *pertinaciam*, qua quis nimis inhaeret suæ sententiæ, nolens cedere alteri meliori; vel ratione voluntatis, quod per *discordiam* contingit, qua quis non vult consentire alteri; vel quoad verba, sicut *contentio* oritur; vel quoad facta, dum quis non vult exequi præceptum superioris, ne videatur minor, et est *inobediencia*. B. THOM. II, II, q. cccxxi, ar. 5.

Alios Actus vanæ gloriae sic poteris concipere.

Primus est, *sua facta vel dicta plus, quam oportet, æstimare*; ex hac enim æstimatione velut radice ipsa postea inanis gloriatio oritur.

Secundus est, *beneplacere sibi in suis operibus, aut dictis*, seu, quod idem est, gau-

dium, voluptatem ex eorum consideratione percipere.

Tertius est, *desiderare, ut ab aliis quoque cognoscantur, et æstimentur*, sicut bonam apud eosdem famam quis acquirat.

Quartus est, *desiderare, ut ab aliis non tantum interius concipiatur hæc æstimatio, sed exterius etiam prodatur, verbisque manifestetur*, in qua manifestatione *Laus* consistit.

Quintus, *variis artibus, modisque hanc aliorum de suis æstimationem, laudemque venari*.

Sextus, *etiam propriis verbis eadem deprecicare*: per predicatio proprio nomine *Jactantia* vocatur.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Omnis caro fenenum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri. ISAIA, XL, 6.

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit. JOAN. VII, 18.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. JOAN. VIII, 43.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. JOH. XII, 41.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. I. COR. V, 7.

Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.

Hoc scio a principio; ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. JOH. XX, 4.

PSALM. — Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. PS. CXIII, 9.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debimus facere, fecimus. LUC. XVII, 18.

Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? I. COR. IV, 7.

Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes. GAL. V, 2.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in celis est. MATTH. VI, 1.

Nec gloriaris in crastinum, ignorans, quid superveniens pariat dies. Laudet te alienus, et non os tuum: extraneus, et non labia tua. PROB. XXVII, 4.

Non gloriatur sapiens in sapientia sua: et

non gloriatur fortis in fortitudine sua: et non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me. JEREM. IX, 3.

DAMNUM. — Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quaeritis. JOAN. VII, 46.

Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati: bibistis, et non estis inebriati: operuistis vos, et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in saeculum pertusum. AEG. EI, I, 7.

Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam faciens. OSEE, IX, 16.

Ventum seminabunt, et turbidinem metent; cumulus stans non est in eo: germen non faciet farinam: quod etsi fecerit, alieni comedant ex eo. Ibid. VIII, 7.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Inanis gloria hujus sæculi, fallax est suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis sine penitentia. S. AUG. sub Ps. VII.

Tuba est omnis actus, vel sermo, per quam ipsa operis jactantia designatur; tuba ergo canere, est pompam vanæ laudis appetere. S. CHRYS. sup. Matth.

Laudamus mendaciter, delectamur inaniter, et vani sunt qui laudantur, et mendaces qui laudant. S. AUG. in quadr. epist.

Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsit non fuerit, tamen oblata delectat. S. GREG. in mor.

Omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur, hoc vero dejectum acrius resurgit ad luctum, et cum putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. Et hæc est subtilis inimici veritas, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare. CASSIAN. I. I, Inst. c. VII.

Vitiorum auctor daemon in eo, quod non potest vincere vitii suis, vincit virtutibus alienis: Armis, quibus eliditur, surgit, et virtute, qua dejicitur, dejicit. Laudat, quæ se prospicit superari virtutem; ut victus pos-